



~~11-73.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-73. ———
SIGNAT. cI^oI^oCCCXIII.



ע-ם-אלהים:

EXERCITATIONUM
LOGICARUM II.

De

Anteprædicamētis,

Et eorum primò

HOMONYMIS,

Quam

In Electorali Witebergensi Academia

publico Eruditorum examini

subjiciunt

PRÆSES

M. ESAIAS VICCIUS, Vratisl. Sil.

&

RESPONDENS

ANDREAS PLANERUS, Belgerâ Misnicus.

In Auditorio Minori.

Ad diem 28. Jan. ANNO M DC LX.

Exscribebat MICHAEL Bende.



Antepresdicamentis

HOMONYMIS

Messianis, Vocabulis

Belgii Munitus

M D C L X

A. J. P. Phil.
adus loci





Prooemium.



Utm omnis habitus duobus absolvatur, tum
περὶ θεωρίας, quæ in assequenda rerum cogni-
tione intellectum nostrum maximè faciliat;
tum θεωρίας ipsa, in qua essentia discipline
distinctius menti ad contemplandum sisti-
tur, nos etiam instituti nostri rationem ha-
bentes eandem persequemur viam. Et quia
in Exercitationum Logicarum prima præliminari de iis quæ extra
discipline hujus essentiam sunt, tractationem suscepimus, nostrarum
jam erit partium ipsa disciplina penetrabilia investigare, & quæ quid-
dam illius respiciunt, sub disquisitionis incudem revocare.
Quamprimum verò oculorum & ingenij aciem ad monumenta
Aristotelis convertimus, manifestum est, ipsum in frontispicio Or-
gani de περὶ οὐσιολογίας sive Antepredicamentis fuisse sollicitum, &
ex iis Homonymorum doctrinam primò exposuisse. Cujus vestigiis
& nos in presenti insistentes animo nobis propositum est, quæ de
Homonymorum doctrina notata digna videbuntur, limæ præsentis
subjicere. Hoc ut felicem sortiatur eventum, DEUS omnis simpli-
citatibus & candoris Author, deceptionis & confusionis Osor & Ul-
tor, Spiritu suo Sancto conatibus nostris assistere non dedignetur!

PRÆCEPTA.

- I. Homonymum est talis terminus qui quoad nudū
nomen, sine communicatione definitionis, pluri-
bus communis est, v. gr. Canis, cum de terrestri,
coelesti & marino prædicatur.
- II. Homonymum aliud est casu, aliud consilio factū.
- III. Homonymum casu factum est, quod res plu-
res essentialiter diversas absq; ratione quadam
specia-

speciali significat, ut: jus notat leges forenses & officiam liquidiores.

IV. Homonymum consilio factum est, quod res plures non sine causa eâq; speciali denominat, ut cum caput dicitur de capite humano & Duce Exercitus. *EXPLICATIONES*

ad

Præcepta in genere.

§. 1. Partem Logicæ generalem imposterum ruminaturi de ejus Oeconomia nonnihil notare habemus. Dispersitur autem cõmuniter in tres quasi Sectiones, quarum prima explicat terminos simplices; secunda ipsas propositiones, & tertia deniq; agit de discursu. Neq; caret ratione hæc divisio: fundamentum enim agnoscit tres humanæ mentis operationes, quarum prima rei essentiam sine affirmatione & negatione cognoscit, & vocatur *νόησις τῶν ἀπλῶν*, v. gr. cum dico, Purgatorium, nemo me mendacii arguere potest, non enim dico purgatorium esse vel fuisse. Et huic primæ mentis operationi respondet sectio prima de terminis simplicib9. Secunda est judicium animæ rationalis, quo judicamus rem aliquam apprehensam rei alicui alteri apprehensæ convenire, vel non, vocatur aliàs *σύνθεσις καὶ ἀφίεσις* cõpositio & divisio; cui respõdet Sectio secunda de Enunciationibus. Tertia vocatur *ἀνάφορα* discursus, & consistit in illatione unius propositionis ignotæ ex aliis notioribus, & hanc perficiendã sibi vendicat sectio tertia de Syllogismo.

§. 2. Non immeritò autem sed sapienter admodum de terminis & eorum ambiguitate ab initio laborat Logicus. Imitatur enim hac ratione prudentem artificem, qui tum demum Tyronẽ suum majores aggredi jubet operas, ubi terminorum à se explicatorum cognitione animum probè imbutum esse deprehendit: ita pretiũ operæ quoq; est, ut ad devorandas sequentes difficultates discens hanc de Æquivocis doctrinam benè excolat, ne Sophistarum verfatia ipsi ludos & dolos exhibere queat. Quis enim cum ignarissimis ignorat, quam multa sub his nominum latibulis sæpè nidulentur Sophismata, ex quibus nunquam te extricabis, nisi in hac Schola rectè informatus fueris?

§. 3. Ob-

§. 3. Observandum dehinc est, quod duplex doctrinæ hujus usus sit, alius privativus gr. *σεντιπυός*, qui hoc vult, ut Æquivoca à triplici illa mentis operatione removeantur. Exulare debent à Prædicabilibus & Prædicamentis tanquam dubia, & nullo ordine locanda, aut attributionis modo prædicanda; ab Enunciationibus, quæ animum in dubio suspensum tenere haud debent; à Discursibus & Syllogismis, qui algâ viliores & de lana caprina instituti erunt, nisi æquivoca fuerint remota, nam his non declaratis intellectus facillè in errorum labyrinthos delabi potest.

§. 4. Alius *θετιπυός* seu positivus, ita videlicet, ut termini ex conditione materiæ, disciplinæ & artis in qua tractantur, limitentur. Aliàs enim nec definiri, nec dividi, nec in ullo prædicamento reponi, aut in ulla scientia locum invenire possunt, v. gr. Elementa, nisi declaretur, num de literis, aut de corporibus simplicibus accipiantur, nusquam pertractantur; sed distinctè de elementis, prout notant literas agit Grammaricus, & de iisdem, quatenus certas corporis naturalis species significare debent, Physicus.

Ad Præceptum I.

§. 5. Est autem Homonymum origine græcū vocabulum ex *ὁμῶς* simul & *ὄνομα* nomen, quod una atq; simul significet res plures, ut: Iris est vocabulum homonymū quod de flore certo & arcu cœlesti, & de circulo circa pupillam dicitur. Ita canis, cum de cane marino, latrante & cœlesti prædicatur. Hinc versus:

Latrat in orbe canis, nat in æquore, fulget in astris.

§. 6. Ab Aristotele Homonyma describuntur, quod sint, *quorum nomen solum commune est, definitio verò juxta illud nomen diversa.* Hujus descriptionis occasione Scholastici distinxerunt Æquivoca in æquivocantia & æquivocata: Æquivocum æquivocans est ipsum vocabulum ambiguum; Æquivocata autem res tali voce significatæ. Sic vox canis est æquivocum æquivocans; at animal terrestre, marium & sidus cœleste, quæ voce Canis significantur, sunt æquivocata.

§. 7. Nos, licet unumquemq; suo abundare sensu facillè permittamus, non possumus tamen aliter, quin æquivoca æquivocata, nihil minus quam æquivoca, ac proinde ex classe Homonymorum eximenda esse statuamus. Res ipsæ sunt, in quibus sanè nulla

homonymia est, sed omnis oritur in respectu ad vocem. Observationem merentur, quæ hanc in rem habet, B. Jac. Mart. Instit. Log. p. m. 95. *Quia igitur in dictionibus tria spectamus: rem significatam: mentem, quæ res concipit: & vocem ipsam, quæ res animo concepta significatur. In uno horum oportet sit homonymia. At in re nulla est ambiguitas, res enim quando vera est, b. e. res est, una est: & quando una est, ambigua & homonyma non est. Neq; in mente ea datur. Nam qui dicit, unum quid intelligit, & qui audit: Ergo omnis ambiguitas & homonymia in voce nascitur, quæ cum plura significare queat, aliter ab auditore accipitur, quam fuit in mente proloquentis.*

§. 8. Deinde quæ homonyma dividuntur, quod alia sint casus, alia consilio, ea quoq; eodem in loco describi oportet. Sed non homonyma homonymata, verum homonymantia ita dividuntur communiter, quare & de illis definitio homonymorum in genere intelligenda venit. Vide omnino & confer B. D. Scharffium, Seniore quondam nostrum Venerandum in Instit. Log. p. 115. Clariss. DN. Danhavverum, in Epitom. Dialect. p. m. 20.

§. 9. Cæterum cum ab æquivocis cavendum esse jubent Logici, non sermo ipsis de æquivocatis est; hæc enim ad certam significationem jam redacta, & non amplius ambigua sunt: sed de æquivocantibus loquuntur, quæ intellectum ex se indeterminatum non determinant, sed indeterminatum relinquunt. *Nam necessarium est Ἀξιωματικῶς ἀπορίσως ἔχειν intellectum indeterminate se habere in iis, quæ πολλὰ ἄχως dicuntur, monente Arist. l. I. de Cœlo. cap. II. text. II.* Exempli loco sit hic Syllogismus: O canis est quadrupes, Canis cœlestis est canis. E. est quadrupes. Quæ causa hujus sophisticationis & quadrigæ terminorum? an æquivocum æquivocatum, quod est canis terrestris? non sanè. Propositio namq; hæc: Canis cœlestis est canis, non amplius dubia est; sed determinatum est vocabulum canis ad certam significationem. Ergo relinquitur, quod æquivocum æquivocans seu terminus canis in majore absolute positus hujus fallaciæ origo sit. Quibus ita positus sic argumentamur: Quæcunq; æquivoca impediunt structuram Syllogisticam & ad prædicandum inepta sunt, de iis ab initio partis generalis agendum est Logico. At æquivocantia talia sunt, ad omnem discursum & prædicationem inepta sunt. Quapropter
etiam

tiam in iis sequestrandis & à constitutione notionum secundarum removendis agendum est Logico.

§. 10. Addo & hoc quod æquivoca verè illa sint, quæ si ab ambiguitate liberanda sunt, adjectione aliqua vocis indigent. At hæc denuò non sunt æquivocata, v. gr. Homo rapax, lucius, animal quadrupes. Quid enim per hæc intelligatur ex se manifestum satis illi, qui terminum cognitum habet atq; exploratum. Remanet igitur, quod homonyma homonymantia considerationis Logicæ potius sint, quam homonymata.

§. 11. Idem sentire nobiscum videtur Celeberrimo Danhavvero quando in Epitome Dialecticæ tantum æquivocans describit h. m. *Terminus æquivocus est multis communis nomine solo, non definitione, ut homo, vivo & picto Malum pomo & vitio.* Et in explicatio hujus descriptionis idē cõfirmat, dicens: *advertite ab Aristotele in Antepredicamentis definiri æquivoca (ut barbarè loquuntur) æquivocata, i. e. res ipsas, quæ πολλὰ ἄλογα dicuntur: hic definiri terminū æquivocantem. p. 20.* Neq; abludit Cl. Gutkius in Synopsi Log. divinæ p. 53. qui conferatur.

§. 12. Dicuntur v. hæc homonyma etiam æquivoca, quasi æqualia, quia nomen æqualiter suis inferioribus cõmunicant. Quomodo a. hæc vox (æquivoca) minus cõmoda sit naturæ homonymorū explicandæ, ostendit Scaliger L. 4. de causis LL. c. 85. Ab aliis etiã vocantur late patentia, quia iisdem mens nostra ita distrahitur, ut nesciat quid concipere aut certi statuere debeat.

§. 13. In descriptione notandū, quod homonyma quoad nudum nomen pluribus communia esse statuamus, exclusa definitione. Causa hujus rei est, quia æquivocum, quæ tale, neq; genus neq; species esse potest, & proinde nec potest essentiali definitione definiri, quod enim propriè definitur debet esse unum in se. Qualem unitatem cum non habeant homonyma, sed multa indeterminatè significant, ideoq; definitione propria gaudere eamq; aliis cõmunicare hæud possunt.

§. 14. Porro cum Homonymum pluribus commune esse dicimus de communitate loquimur materiali, h. e. eadem vox ratione soni & articulationis multis communis est: non formali, h. e. non eadem est significatio nominis sive vocabuli. Patescit hoc in voce Iridis, quæ dicitur de arcu cœlesti & de flore certo, & de circulo circa pupillam: nomen enim est materialiter cõmune, quia uterq; vocatur

vocatur iris, sed non formaliter, & quoad significationē, quia aliud significat hoc nomen cum huic; aliud cum alteri tribuitur. Eodem modo se res habet, quādo vox hominis de vivo & picto prædicatur.

§. 15. Deniq; ut *Æquivocum* verè materialiter commune sit, requiritur etiam, ut eadem accidentia grāmatica sortiatur, ubi de inferioribus dicitur: Triplicem ergo requirunt vocis æquivocæ identitatem, imò accentus, ut uno eodemq; gaudeat accentu, cum rebus essentia diversis applicatur. Sic parere pro gignere & obedire æquivocum non est, quia uti ex pronūciatione & accentu patet, duæ diversæ voces sunt. Secundò generis, quò eandem generis notionem obtineat, sic nomen malò etsi nunc arborem, nunc hominē pravum significet, æquivocum tamen non est, quia priori significatione acceptū sub notione fœminina; in posteriore sub masculina grāmaticis effertur. Tertiò adjungunt identitatē spiritus, ne dum se aliis cōmunicat vocabulum, spiritum mutet. Quæ secus se habent nomina in *Æquivocorum* classem referenda non sunt.

Ad Præceptum II.

§. 16. Respectu causæ efficientis ita dividuntur *Homonyma* in illa quæ *ἀπὸ τῆς τύχης* S. casu facta; & *ἀπὸ τῆς ἀγνοίας* seu consilio & *ἐκ προαίρεσεως* constituta. Non uno enim sunt orta modo; sed quædam temerè atq; ut fors tulit nata, quædam certa deliberatione & prævio consilio orta sunt.

Ad Præceptum III.

§. 17. Notanter dicimus absq; ratione speciali. Nam non fugit nostrum intellectum, generales aliquas ambiguitatis rationis dari posse, quarum prima petita est à rerum infinitâ copiâ & vocabulorum inopiâ. *Verborum certus ac definitus est numerus, rerum infinitus inquit Arist. I. Sophist. Elench. c. I.* Inde jam effectum, ut uno nomine multas res significari sit necesse. Documento nobis sit lingua *Ebræa*, in qua ultra mille quingentas ad summū voces, quas vocant radicales, quod ipsi *Ebræi* fatentur non invenias; unde fit ut una radix sæpè quatuor vel quinq; diversarū rerum significationes habeat, quæ res nobis nunc post lapsum in statu peccati positæ, lingvæ istius difficultatem non parum auxit, cum alias quoad vocum formationē & paucitatē præ alis videri possit facilis. Idem evenit lingvæ latinæ quæ ut vocum penuria, ita etiam ambiguitate magis laborare videtur, quam ulla fermè alia.

§. 17. Al-

§. 18. Alteram ambiguitatis causam nobis præbet elegantia & ornatus, propter hunc enim voces quædam in oratione genuinam & propriam significationem amiserunt. Huc referendi sunt omnes tropi & figuræ ab Oratoribus adhibitæ. Sic ergò in genere partim multitudo rerû; partim elegantia & ornatus ambigua nobis fecerunt vocabula. Sed cum in specie quæritur de hac vel illâ voce, cur tota essentia differentibus rebus sit imposita, reddi in multis ratio nulla potest, quam quod imponentiû arbitrio ita placuerit. Ut, si quis me roget cur calx notet plantam pedis & materiam qua compingimus lapides: Cur nomen Johannis dicatur de Apostolo Christi, & de Johanne VIII. Papa scæmina & prostibulo illo Romano rationem nullam dederò, nisi quod ita visum fuerit nominum Impositoribus.

Ad Præceptum IV.

§ 19. Specialis illa ratio, cur unum nomen res essentiâ diversissimas significet, desumitur tum à similitudine quam res habent ad se invicem: sic similitudo, quam homo pictus cum vivo habet, ansam præbuit utrumq; eodem nomine denominandi: tum à comparatione unius ad aliud, vel alia quadam proportionem ac habitu-dine terminorum. Ita os tribuitur animali & plantæ ob analogiam quam radix alit cum ore animalis: Ut enim se habet os animalis in ordine ad nutritionem: ita & radix plantæ in arbore ad nutrimenti sui attractionem. Et huc usq; se extendit explicatio præceptorum, jam ad Controversias nobis pergendum est. Unam verò vel alteram modò pro ratione nostri instituti proposituri sumus. Esto igitur

POSITIO PRIMA.

Doctrina Antepredicamentorum essentialem Logicæ partem constituit.

Expositio per I. Distinct.

1. Notandum quod Categoriarum doctrina tribus potissimum absolvatur partibus: Imò *μετὰ τὴν ἀρχήν* seu Antepredicamentis, in qua natura Homonymorum, Synonymorum & Paronymorum definitionibus explicatur, secundò *ἰσχυρὰ* seu ipsis decem Prædicamentis, & 3. *ὑποτὸς τῶν ἀρχῶν* seu Postpredicamentis, ubi de oppositis agendum erit. Hic de Antepredicamentis quæritur.

2. *Ἐν* D. Inter τὸ ante dictum ratione ordinis naturæ, quod Antepredicamenta priora sint formaliter & in ordine aliquo essentiali **B** *ἰσχυρὰ* **ipsis**

ipsis Prædicamentis, quod falsum, siquidē Prædicamenta sunt principia quædā; sed principiis nihil est prius, aliàs non forent principia: & ratione ordinis doctrinæ quod doctrina eorū sit utilis & ipsis Prædicamentis præmittenda propter faciliorem scilicet cognitionem.

3. D. Inter Usū antepredicamentorū secundarium, qui est rerum prædicamentaliū naturam & ordinē felicius & facilius intelligere: & primarium, qui consistit in propositione modorū prædicandi affirmativorum tū essentialiū; tū extra essentialiū. Errant igitur omnes illi quibus Antepredicamenta nihil aliud sunt, quā præcepta ad meliorem ipsorū Prædicamentorū cognitionem utilia.

4. D. Inter ipsas voces: & vocū interpretationes. Licet voces, quæ hic explicantur grāmaticæ sint; explicatio tamē haudquaquā grāmaticalis est; sed hujus loci propria. In gratiā Ramī ita distingvimus, statuentis homonyma ad sermonē pertinere, atq; ad eō ad Grāmaticā, ubi voces explicantur. Verū enim verò nō eadē consideratio vocum nostra quæ grāmaticorū est; nec sermonē grāmaticē, sed logicē informādū docemus, demonstrādō, habitudinē unius ad alterū in prædicādō.

5. D. Inter ea, quæ per se & primario in disciplina scientiæ aliqua pertractantur, adeoq; sub subiecti complexu continētur: & inter ea quæ nō per se & propter se, sed per accidēs & aliorū gratia disciplinis inferuntur. Ita Ethicus per se & primò agit de virtutibus, quia v. hæ ut medio loco inter duo extrema constitutæ sine vitiis non possunt cognosci perfectè, propter relationē quā inter se habēt, inde per accidens & propter aliud, nempe virtutum cognitionē in Ethicis pertractantur. Nihil igitur efficit Ramus, quando ad eliminandam ex territorio logico Homonymorū doctrinam, fundamenti loco adducit, quod in disciplina ubi virtutis definitio necessaria & homogenea est, è contrario definitio vitii ut minus necessaria tū omitti possit.

2. Rationes.

Pròbandū nobis hic est, I. Quod Antepredicamenta essentialē Logicæ partem constituent. Ita autem argum. Q. Doctrina modos distingvendi conceptus affirmativè disponi aptos à conceptibus affirmativā dispositionem respicientibus, ostendit, illa essentialis Logicæ pars est. Atq; hoc præstant Antepredicamenta per exactam Homonym. & Paronym. cognitionem. Ergò. Pro majori hujus argumenti confirmatione & illustratione adduco verba, quæ hac de re habet Dn. D. Scharff. *viv. éváng. Instit. Log. L. I. tr. I. c. I.* Ita autē inquit: *Antepredicamenta non modo sunt præcepta ad meliorem Prædicamento-*

mento-

mentorum cognitionē utilia; sed primò tradunt instrumenta simplicissima & incomplexa logica, quæ aptitudinem prædicandi in terminis simplicibus delitescentem formaliter designant, notificant atq; rectificant; secundariò faciunt ad Prædicamentorum doctrinam. Et post pauca. Dico autem quod in Antepredicamentis tradatur modus prædicandi affirmativus, quæ est vel Synonymicus vel Paronymicus. Qui modi prædicandi ut generalissimi sunt; ita fundantur in prima ὄντων consideratione &c.

2. Quod eorū doctrina ad cognitionem ipsorū Prædicamentorum faciat. Hoc ut evincamus non multo labore opus est. Siquidem prius simplex terminus ad certam categoriarū classē potest revocari; prius etiā quā de aptitudine & modo prædicandi potest judicari, oportet ostēdere quænam vocis illius sit homonymia, ut ita sublata ambiguitate, constet, ad quam Categoriam referri debeat. Et hic finis est propter quem Homonymorū doctrina primū inter Antepredicamenta locū obtinet. Adhæc si tu scire vis, quænam in scala Prædicamentorū Synonymos, quæ verò Paronymos prædicentur, utriusq; notitiā Te habere necesse est. Quod si igitur discrimē Synonymorū & Paronymorum rectè cognoveris, modum prædicandi exinde haud difficulter cognosces.

Oppositio.

1. D. Coloniensium, Javelli, Porrentini, Regii &c. Antepredicamentorū doctrinam pro præambulo aut præludio saltē ipsis veris Prædicamentis præmissio habentiū. Ita Regius de seipso & illis in quorū sententiam descendit L. 2. probl. 2. De Antepred. p. 344. *Antepredicamentū à Javello, Coloniensibus & Porrentino definitur, quod sit documentū vel cognoscibile, vel præambulū vel præviū traditū ab Aristotele immediate arte vera prædicamenta, valens ad cognitionē eorundē essentialē à priori.* Et paulò post: *Antepredicamentū est doctrina quædā nō essentialis &c.* Vid. l. c.

2. Ex Recentioribus, Gilberti ab Isendorn in Log. Peripat. L. 1. c. 13. *Antepredicamenta inquit, sunt quædā præludia ad eorū quæ de Categoriis dicentur feliciorē perfectiorēq; intelligentiā à priori & immediate plurimū conducentia.* Huc spectant etiā quæ hac de materia annotavit Scheibl. in Introd. Log. c. 4. ubi profundero, quod hæc doctrina hic simpliciter necessaria non sit, adducit hoc, quod de Prædicamentis hic nō agamus ut plenè de iis cognoscatur; sed crasse & ruditer solum. sed quid est ἐν δεξιῇ λαμβάνειν si hoc non est? Nam Prædicamenta omninò necessariò hic proponuntur, quia mōstrant & tradunt cognitionem materiæ Logicæ, docent primam operationem logicā &c. Reliqua ipsius argumenta discursui committimus. 3. Ra-

3. Rami præprimis & Complicum ipsius, statuentium non modò, Antepredicamenta essentialibus Logicæ non accensenda esse; sed & totaliter ex agro Logico proscrubenda. Quæ pro corroboranda hac sententia adducunt ita comparata sunt, ut partim in falsa logicæ divisione fundentur, partim etiam ex datis distinctionibus absq; ulla difficultate emasculari possint. Nos pergimus ad aliam Controversiam.

POSITIO SECUNDA.

Voces Æquivocæ Orationem Æquivocam ubiq; haud præstant.

Exposit. per 1. Distinct.

1. *D.* Inter vocem aliquam consideratam absolutè nudè ac in se: & respectivè, determinatè, ratione certi loci & textus. Potest vox aliqua nudè & extra orationis seriem posita æquivoca esse, quæ tamen respectu certæ materiæ & determinati textus omnem ambiguitatem amittit, quando adjuncta epitheta ac descriptiones sæpissimè palam faciunt in qua acceptione vox aliqua usurpetur.

2. *D.* Inter Enunciationem unam ac simplicem, & compositam seu duplicatam, Simplex est, quæ uno constat subjecto & Prædicato; duplex contra geminum habet subjectum & prædicatum. Talis est, quando Joël 2. v. 13. Propheta dicit: lacerate corda vestra, non vestimenta. In hac admonitione duæ orationes involvuntur. Prima est: Vos Israëlita lacerate Vestimenta vestra. Altera, Vos Israëlita lacerate corda vestra. Licet igitur vox lacerandi duplicem significationem obtineat; tamen hoc nobis non officit, quæstio enim tantum est, an una in oratione simplici vox æquivoca multas significationes habere atq; idè orationem ambiguam reddere possit, quod negamus,

3. *D.* Inter sermonem candidum, sincerum ex puro corde, & sapiente ac bono authore prolatum, qui & noverit quid loquatur, & data opera decipere nolit, & hujus voces orationem æquivocam haud faciunt: & fucatum, dolosum, ubi verba insidiosè posita lectori crucem figere allaborant; qualia sint oraculorum placita:

Ajo Te Æacida Romanos vincere posse,

Item;

Item:

Cræsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.
Hic æquivocationem subesse non diffitemur, quia verba omnia sunt dubia, contorta, in utramq; partam flexibilia & ad imponendum studiosè excogitata.

4. D. Inter orationem aliquam nudè ac solitariè, & inter eandem cum legitimis interpretandi mediis consideratam. Potest oratio quædam dubia prima fronte apparere, si nimirum solitariè consideretur; verùm ubi accesserint legitima interpretationis media, ita ut ratio connexionis & circumstantiarum textus habeatur & idiomatis, quo oratio profertur, nullum de ambiguitate enasci potest amplius dubium. Multa enim nobis dubia videntur, quæ in se talia non sunt; sed ob neglectum diligenter inquirendi studium nobis usu veniunt.

5. D. Inter sensum alicujus dicti proprium, qui semper literalis est, & ex verbis seu propriè s. impropriè acceptis fluit: & inter usum alicujus dicti in argumentationibus, consequentis ac applicationibus qui alius atq; alius esse potest.

2. Rationes.

Primum Positionis nostræ probandæ argumentum desumimus ab insigni absurdo quod ex aliter sentientium opinione consequitur, videlicet, quod hac ratione nulla detur in ulla oratione certitudo, certa significatio; sed mera ambiguitas. Causa est, quia vix dabitur locus aliquis, in quo vox æquivoca non occurrat. Si igitur voces æquivocæ orationem ubiq; faciunt æquivocam vix licebit ex testimonio aliquo firmiter concludere, sed omnia erunt incerta & dubia, quæ sententia blasphema est, Pontificiis verò multipliciter sensus in Scriptura S. urgentibus admodum grata. Ita enim facilius Scripturas tanquam dubias & incertas rejicere, Patrumq; traditiones ac definitiones Conciliorum assumere & urgere se posse opinantur. Verba sunt B. Meisneri in Phil. Sobr. part. 2. Sect. 2. qu. 4. p. 592.

Secundum desumimus ab unitate sensus & significationis in voce una. Nam unus tantum unius dicti sensus est ab authore intentus, non duo vel plures, non aliter quam una unius rei est forma.

forma specifica, cui in certa proportione vocis significatio re-
spondet. Malo pro adstruenda hac significationis unitate verbis
B. Meisneri uti quam meis. Ita autem ille in Phil. Sobr. p. 1.
sect. 1. pag. 241. colligit: ubi diversa est significatio, diversi
sunt conceptus, ubi hi, ibi diversæ res, ubi hæ, ibi diversus mo-
dus attributionis. Ubi hic, ibi non una simplex prædicatio est;
sed multiplex & diversa.

Oppositio.

Opponimus Thesin nostram 1. Pontificiis Scripturæ Sacræ
ob vocum ambiguitatem & varias earundem significationes,
cereum atq; flexibilem nasum affingentibus. Præ reliquis cho-
rum ducit Jesuita Huntlaus qui in Epitom. controv. c. 7. de verbo
DEI inter alia ita disserit, quod nullus ferè sit locus Scripturæ,
qui non propter æquivocationes & varias unius ejusdemq; vocis
significationes aliter atq; aliter explicari possit. Imò exempli
loco adducit Gen. c. 1. v. 1. Ubi ex diversis significationibus
vocum בראשית ברא אלהים octo explicationes seu rectius
detorsiones recitat. Verum enim verò si contentui habenda
essent legitimæ interpretationis media & nudis cerebelli nostri
speculationibus indulgendum, non video, cur pondus suum atq;
valorem non illa quoq; obtineat textus depravatio, cujus B. Lu-
therus 3. Jen. p. 381. per jocum meminit, Zvinglianos in ver-
bis SS. Cœnæ tropum fingentes ita excipiendo. Gleich als wenn
ich zuvor leugnete/das Gott Himmel und Erden geschaffen hette/und
spreche mit Aristotele und Plinio sambt andern Heyden / die Welt
were von Ewigkeit her. Es kame aber einer und hielt mir Mosen
für die Nasen Gen. 1. Im Anfang schuff Gott Himmel und Erden/
wolt ich den Text also machen / Go. t/der solt so viel heißen als Guckuck/
schuff aber so viel als fraß/Himmel und Erden/ so viel als die Grass-
mücken mit Federn und mit allem. Das Mose Wort / nach des Lu-
thers Text also lautet: Im Anfang fraß der Guckuck die Grassmücke
mit Federn und mit allen/und muß nicht heißen/ Im Anfang schuff
Gott Himmel und Erden. Sed addit ibidem. Treffliche Kunst
were das / welche auch die Lotterbuben wohl könten. Locum hunc
ab adverbiorum corruptelis vindicavit B. Franzius tract. de In-
terpr.

terpr. Script. sacræ in præfat. cap. 6. & D. Glass. Phil. S. L. r. tr. 3.
Sect. 1. p. 194. item Dn. D. Danhavv. in idea bon. Interpr. & mal.
calumn. art. 4. p. 55.

II. In eundem impingunt scopulum Calviniani, quoties una
in oratione simplici vocem unam, duas & plures obtinere posse
significationes existimant. Exempli loco adducunt orationem
illam imperativam Christi, Edite hoc est corpus meum. Ubi in
voce Edite duplicem subesse putant significationem, ita ut deno-
tet & manducationem oralem & spiritualem. Ast quam aliena
à veritate hæc sit opinio ex fundamentis supra datis obscurum esse
haud potest. Confer interim omnino Pl. Rever. Amplifs. atq;
Excellentiss. D. Calovium in tom. 1. Syst. Theol. p. 666. & seqq.
Item desideratissimum Meisnerum in Phil. Sobr. p. 1. Sect. 1. qu. 6.
p. 240.

III. A nobis quoq; dissentiunt Photiniani, quoniam ad lo-
cum in quo vox est æquivoca, sufficienter responsum esse existi-
mant, si ostenderis, vocem diversas habere significationes, &
aliter accipi posse, quam opponens accipit. Quod principium
quam sit lubricum & ad evertenda doctrinæ nostræ fundamenta
infirmum solidè demonstrat Clarissimus Dn. D. Keslerus in Log.
Phot. sect. 4. Princip. 7. p. 359. seqq.

IV. Idem opponendum est Judæis, id sibi dandum unicè
operæ existimantibus, ut æquivocationis studio devoti eviden-
tissima de Salvatore nostro oracula in planè alienas atq; contor-
tas sententias pervertant. De quibus iterum notatu digna ha-
bet Megalander noster Lutherus, cum in explicat. ult. verb.
Davidis Tom. 5. Wittenberg. German. fol. 555. ita de Ju-
dæis inquit: Sie æquivociren / zweiffeln / tappen und suchen /
wie ein ungelehrter Organist die Claves oder Orgelpfeiffen sucht /
und fragt: Bistus? Bistus? Et hucusq; de Antepredicamen-
tis & eorum primò Homonymis, tractationem suscipere con-
stituimus. Nihil residuum amplius, quàm ut cum Angelico
illo Exercitus cœlestis Choro, toto, quod dicitur
pectore exclamemus.

GLORIA IN EXCELSIS DEO!

PLANI

PLANERE, pietatis tuae, modestie
Ac eruditionis haud tacenda laus
Te jure cunctis reddit adamatum piis
Sophisq; Quam dum publicè iterum comprobas,
Tibi gratulor brabeaq; minor debita.

Constantinus Ziegra S.S. Th. Lic.
Phyf. P. P. & h. t. Decanus.

Ad
Pereximium atq; Humanissimum,
Dn, RESPONDENTEM,
Philosophiæ Candidatum,
meritissimum,

Amicum & Fautorem suum honorandum.

SCilicet, errorum fuit Æquivocatio semper
Mater. Non pauci nobis imponere tentant
Hæc freti. Cautè qui non attenderit istam
Turpiter incurrit scillam tristemq; Charybdin.
Laude sua dignus doctè qui prælia miscet,
Atq; docet vocum varios evolvere sensus,
Promptius ut verum cunctis patefiat amicum.
Hæc dum Tu sistis PLANERE es carmine dignus.
Egregius labor est. Conamen laudat Apollo,
Atq; brevi Pallas lauru tua tempora cinget.

L. M. Q. scr.

PRÆSES.



Ung VI 73

ULB Halle 3
004 108 515








11

ATIONUM
RUM II.

dicamētis,

m primò
NY MIS,

m
ergensi Academia
rum examini
riunt
SES

ius, Vratisl. Sil.

NDENS
RUS, Belgerâ Misnicus.
io Minori.
ANNO M DC LX.

CH AEL Bende.

